

res in eminenti constituit, piis eorum studiis gratanter occurrere, bonam voluntatem adhortando promovere, acta commendando approbare, et ne opus in fundamento vacillet, quid et qualiter sit actum, posteritatis notitia scripto transmittere, quatenus et bonis imitatoribus exemplum pietatis inde præberi, et de sinistro aliquid machinantibus tam rationis quam auctoritatis titulo possit obviari. Universis itaque præsentis et futurae ætatis fidelibus innotescere volumus, quod quidam nobilis de nostra diœcesi Widekindus Advocatus, et mater ejus Lutthrudis, spiritu consilii salubriter instructi, et aliquem ex se fructum in tempore suo Domino provenire desiderantes, fundum quendam et quatuor mansos in Hundingen, cum decimis attinentibus ab Ecclesia Vrekenhorst commutaverint, restituentes in concambio fundi quosdam agros prædii sui, sub curti, quæ Belen dicitur, adjacentes, et in concambio mansorum domum unam in Gerboldincthorp, aliam in Bersen, tertiam in Ovenvvide, adhuc in mentis Secretario retinentes quid inde proponerent. Quorum bonæ intentionis odore attracti duo alii nobiles Bernhardus de Lippia et Ludgerus de Waldenberg, duas partes de totius æstimationis sortis à prædicto Advocato et matre ejus ementes cambitæ possessionis se coheredes addiderunt. Illud quoque necessario recapitulandum duximus, quod et fundi et mansorum cambitio sub jurisdictione Rathardi Comitæ, in loco Matthenhem sententiâ et consensu Scabinorum annuente sub regio banno est stabilita, et ibidem Bernardus et Ludgerus emptionem suam ab Advocato et matre ejus confirmaverunt, Rathardo regium bannum exequente. Deinde præfatitres nobiles, edificandi Monasterii in sepe dicto fundo licentiam à nostra benignitate petierunt. Qua obtenta in loco per manum nostram primitus benedicto, in honorem Dei et gloriosissimæ Genitricis ejus *MARIÆ* Monasterii fundamenta cum sancta jocunditate posuerunt, et ad ejus dotationem jam dictum fundum et mansos obtulerunt, et ad majorem suæ devotionis expressionem, ipsum locum beatæ *MARIÆ* campum appellarunt. Præterea jam dictus Widekindus Ecclesiam Hoswincla, in qua ipse hereditaria devolutione jus patronatus habuit cum curti sua ibidem sita, et duos mansos in Rehe, suæ novellæ Ecclesiæ cum universis attinentis integrè donavit. Nos quoque debita hilaritate illorum devotionem excipientes suprædictæ Ecclesiæ videlicet Hoswincla bannum integraliter jam dicto Monasterio in solatium et augmentum benignè contulimus, quem nos ab Ecclesiæ beati Mauritiî sufficienti commutatione et indempni cambiavimus. Insuper quinque solidos in curti Hoswincla Episcopales redditus pertinentes, ibidem obtulimus et Episcopali mensæ aliam decimam sex solidorum de duabus domibus juxta Walbike, et de aliis in Delestorpe, quæ tunc vacabat, in recompensationem restituvimus. Sed et Bernardus de Lippia eidem Ecclesiæ consensu heredum suorum contradidit unam domum prædii sui in Selehorst, et alteram quæ dicitur Provenstinchoff, quam à Bernardo Monasteriensis Ecclesiæ majori Præposito nostro et totius capituli consensu cambiavit, restituens Ecclesiæ nostræ duos mansos prædii sui in Leverdincthorp, et duos in Adenhothmen, et agrum curti Rucampe attinentem. Cujus concambii restitutio sub jurisdic-  
one